



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

Editio Ex Dvabvs Praecedentibvs Conflata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

EDITIO EX DVABVS PRÆCEDENTIBVS  
CONFLATA.ANNO  
CHRISTI  
433.

## CAPVT I.

**E**RAT quidam sacerdos nomine Polychronius, episcopus Hierosolymitanus. Is per imprudentiam senectutis dicebat, quod Ierusalem prima sedes esset. Et ore superbo quasi superiorem affirmabat se pontificem esse, & summum sacerdotem, & in sua senectute semper in hac sua confidentia corroborabatur, ita vt acciperet remunerationem, & alias cum ordinaret presbyteros & diacones. Et nisi accepisset satis dignum munus, non ordinabat episcopum: & quia ei prodesse videbatur opulentia, Æthiopes, & Ægyptios in suæ gremio vrbs (quod Canon damnauit) diacones ordinabat: & sicubi ad dedicandam quamlibet parochiarum in sua regione ecclesiam rogaretur, non dabat auctoritatis suæ facultatem, nisi decem librarum auri accepisset remunerationem. Nam clericus omnino nullus vrbs Hierosolymitanæ ascendeat gradum superiorem, nisi dedisset remunerationem.

Hoc audito, Sixtus episcopus vrbs Romæ conuocauit vniuersam Synodum episcoporum & presbyterorum Romanorum, clericosque in basilicam Constantinianam, & ibi sedens cum episcopis, cleroque de omni vrbe Romana adstante, intimabat eis Polychronium Hierosolymitanum, quod Canones calcauit, vt Christus testatur: *Gratis accepistis, gratis date.* Et intimauit etiam eis vniuersum velamen cordis eius, quod alios scilicet ciues (quod non licet) sociabat ecclesiæ Hierosolymitanæ. Et quod vniuersas ecclesias cum præmio & muneribus consecrabat.

## CAP. VII.

Sedentibus itaque octoginta & vno episcopis, & quadraginta octo presbyteris, & sex diaconibus, iussit introire Euphemium episcopum, qui hæc supradicta de Polychronio pontifice suo voce clara accusare testabatur. Ordinavit autem vniuersa Synodus, & elegit de suo ordine tres episcopos, Castum, Felicem, & Abundium, & tres

ANNO  
CHRISTI  
433.

presbyteros vrbis Romæ, Archidamum, Petrum, & Demetrium, & duos diacones ciues Romanos, Lollianum, & Leonem, & misit eos Hierosolymam, vt secundum dicta Euphemii, quidquid minus integrum inuenissent, ore eius docente, testibus 40. qui vera testificarentur secundū dicta Euphemii episcopi aduersus Polychronium episcopum, emendarent iidem episcopi, Castus, Felix, Abundius, & presbyteri, Archidamus, Petrus, & Demetrius, & diacones, Lollianus, & Leo, secundum præceptum Sixti episcopi vrbis Romæ, vel octoginta & vnus episcoporum Synodum, & quadraginta octo presbyterorum Romanorum ciuium: quinetiam in secundum chirographum Valentiniani & Theodosii Augustorum, si quid edocuiisset Euphemius episcopus de episcopo & pōtifice suo Polychronio, ambos simul, Polychronium & Euphemium, extra ciuitatem damnarent. Venientes autem in vrbem Ierusalem, introierunt feria sexta hi octo cum Euphemio episcopo, & iam sabbato suspenderunt eos abinuicem a communione. Feria autem prima celebrata sunt Missæ a Casto episcopo, qui directus fuerat a Sixto episcopo, & coepiscopis suis, & a Synodo. Feria autem secunda conuenerunt vniuersi episcopi de illis regionibus, & venerunt in eandem ciuitatem, \* quasi fuisset Synodus, numero septuaginta sex episcopi isti, Epiphanius, Quiriacus, &c.

\* quasi ad  
Synodū,

Et federunt cum supradictis, qui directi fuerant ab vrbe Roma, & docuit omnia Euphemius in conspectu Synodi. Respondit Castus episcopus ex directione Sixti episcopi, & dixit: Vincat nos iustitia: Introducantur testes numero competenti quadraginta, vt, secundum Canonem catholicum vrbis Romæ, damnetur extra ciuitatem.

## CAP. VIII.

Prima autem die Synodi tanta probatio fuit Euphemii. Qui dum non probasset omnia, quæ testificabatur prima pollicitatione damnatus est, & accepit anathema dum non docuisset omnia. Et subscripserunt omnes episcopi in eius damnationem. Leo diaconus vrbis Romæ, dixit: Ex te enim damnaberis, quoniam pontificem, qui te consecrauit coepiscopum, condemnabas & accusabas.

Concil. Tom. 7.

E ij

Cecidit autem in terram ante omne Concilium episcoporum, & ibi confitebatur se peccasse. Respondit Abundius episcopus missus ab vrbe Roma, & dixit: Non licet quemquam accusare pontificem suum, quoniam iudex non iudicabitur. Alia autem die conuenerunt in basilicam sanctam resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & ibi federunt iudicantes eum. Ibi autem cum anathemate damnauerunt Euphemium vsque ad vltimum temporis sui. Et subscripserunt omnes in eius damnationem episcopi numero septuagintasex, & duo diaconi cardinales Romani, & tres presbyteri, & tres episcopi, qui directi fuerant, concluderunt, subscribentes in eius damnationem, & dum damnassent eum, exire ciuitatem iudicabant.

## CAP. IX.

Et Polychronium episcopum Hierosolymitanum, quia ordinasset diaconum Æthiopem nomine Victorem, & quia ob decem libras auri ecclesias consecrabat, damnauerunt exire ciuitatem, & dederunt ei vel constituerunt prædia tria ecclesiæ, ita tamen, vt locus eius intactus seruaretur in gremio vrbis Ierusalem. Et dum cessissent ei vsufructuario prædia, subscripserunt omnes episcopi septuagintasex, & episcopi tres, & presbyteri tres, & diacones duo, & dimiserunt ibidem episcopum quasi vicarium in loco eius nomine Theodolum de Bethlehem vrbe. Et suspenderunt sedem eius, ita vt extra ciuitatem habitaret in prædiis supradictis. Et venerunt ad urbem Romam festinantes supradicti octo. Et iussit Sixtus episcopus conuenire episcopos supradictos simul cum Augusto Valentiniano, & alligauerunt vulnera eius. Gauderat autem Augustus in damnatione Euphemii episcopi, qui extitit accusator pontificis sui Polychronii. Et subscripserunt in damnationem horum duorum, omnis Synodus, & Augustus Valentinianus, & Sixtus episcopus vrbis Romæ manu propria conclusit.

## CAP. X.

Post menses etenim nouem, obsessa est ciuitas Ierusalē, ac laborabat fame, nec tantum fame, quantum inopia paupertatis. Polychronius autem, qui ex episcopus, vendidit publice prædia ecclesiæ supradicta pauperibus &

ANNO  
CHRISTI  
455

clericis, populoque Hierosolymitano erogauit vel sparsit. Veniens autem Priscus diaconus vrbis Ierusalem, accusabat iterum Polychronium, dicens: Quod in temporale concessum fuerat, vendidit populo, cleroque sparsit. Hoc Sixtus episcopus audiens, gaudio corroborabatur, & intimauit Augusto Valentiniano rem, quam gestam audierat. Respondit Leo diaconus, & dixit ad Sixtum episcopum: Iube occurrere Synodum per auctoritatis tuæ munimen, vt subueniatur domui, quæ supra aquam habuit fundamentum, & accipiat contignationes & fundamenta lapidea, vt tui munimine pontificii non ruat domus ædificata.

## CAP. XI.

Misit autem præcepta per vniuersas ciuitates, & occurrerunt omnes episcopi. Et fecit Synodum, & sedit cum Augusto in eadem basilica Constantiniana. Et sedens cum episcopis, simulque & Augusto, cogitationibusque æstuat Sixtus episcopus, qualiter Polychronium releuaret. Respondit Valentinianus Augustus, & dixit: Noli æstuarè, pater, quia meruit Polychronius *sicut & vidua, quæ misit æris minuta duo in gazophylacium*, vbi omnes abundanter miserunt. Illa enim nihil habebat, nisi tantum illa duo minuta. Et respondit Dominus noster: *Et quid?* Dixit autem Sixtus episcopus: *Quia omnibus plus misit.* Hæc autem omnem victum suum quem habuit, misit. Respondit Leo diaconus: Ergo præsul qui imitatus est viduam, non viduetur. Tunc leuauerunt se omnes episcopi, & qui in eodem loco erant, præ gaudio litanias faciebant: plus enim ex gaudio plorabant omnes.

## CAPVT XII.

Et direxit epistolam hanc ad vrbem Ierusalem. Beatissimo Polychronio episcopo & coepiscopis Sixtus episcopus vrbis Romæ & vniuersa Synodus clerusque omnis & Augustus. Reuelationis tuæ officia & munimen ruinæ non patiar obliuisci. Iam redi ad vxorem, quam tentabas adulterare. Non viduetur enim vxor casta, nec vir prudens maculetur pecunia, aut scorti contagio: quin templum, quod deiecerat Euphemijs, per te, Polychroni, ædificetur: Redi ad vxorem sine macula, & custodi dicta apostolica. Ora pro vrbe Roma. Actum est au-

E iij

Hi consules referuntur ab omnibus in annum D. 450. qui fuit decimus a Sixti morte.

tem Valentiniano septimo & Auieno consulibus. Dum introissent hi octo in Ierusalem, decimo Kalendas Aprilis, reuocauerunt Polychronium episcopum in urbem Ierusalem cum magno honore, & sedit in eadem annos septem & menses sex, & requieuit in pace.

ANNO CHRISTI 433.

## NOTA.

An hæc acta legitima sint.  
Argumenta pro parte affirmante.

Rationes pro parte negante.

Sententia auctoris.

*Acta.*] Hæc acta synodalis expurgationis Polychronii Hierosolymitani episcopi Romæ coram Sixto pontifice habita, legitima & alicuius auctoritatis esse videntur, tum quod Nicolaus Romanus pontifex in epistola ad Michaelē imperatorem ea velut legitima citarit, tum quod scriptores nostri temporis eandem post Petrum Damiani in epistola ad Henricum Rauennatem allegantes, de horum fide & auctoritate nihil hactenus dubitauerint. Contra vero eadem spuria & illegitima esse, quiuis prudens asseruerit, si ad notam consularem, nomen accusati, aliaue res apud acta descriptas, diligenter attendat. Si quod habent acta, hæc accusatio, & expurgatio contigit Valentiniano septimum & Auieno consulibus, certe non ad tempora Sixti, sed ad annum vndecimum Leonis papæ referenda forent. Temporibus Sixti vel Leonis pontificum, ab anno Domini 429. vsque ad annum Christi 457. non modo non aliquis Polychronius Hierosolymitanæ sedis episcopum egit, (nam post Praylium Iuuenalis prædictis temporibus Hierosolymitanæ sedis episcopatum tenuit, & duobus œcumenicis Conciliis Ephesino & Calchedonensi interfuit) sed neque apud Nicephorum episcopum Constantinopolitanum, qui texuit catalogum episcoporum Hierosolymitanorum, neque apud Nicephorum Callistum, vel Euarium, qui horum res in orientali ecclesia gestas persecuti sunt, vsquam vel leuis saltem Polychronii nominis mentio habetur. Tertio quæ hic leguntur de ciuitate Hierosolymorum hoc tempore obfusa, nullo modo subsistere possunt. Hæc sunt quæ actis antiquissimis pondus & auctoritatem imminuunt. Qua ratione hæc difficultates expediri queant, non video. Si quis eadem ad veritatis lumen aliquo modo reuocare possit, pergratum fecerit, si consilium & auxilium mihi communicauerit. Vide Baronium anno 433. numero 38. & 39.